



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

20. Caij Matij vis, honor breuis, & vana dignitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

qui, illo praesente, in theatro, Græcos versus recitauit, quorum hæc erat sententia. *Qui ab vno non potest occidi, à multis occiditur. Elephas grandis est, & occiditur. Leo fortis est, & occiditur. Tigris velox est, & occiditur. Cave multos, si singulos non times.* Vates fuit Poëta: nam quod dixit, accidit. Postquam enim Maximinus Aquileiam diu, magnis viribus, sed irrito conatu, oppugnauit, more ferarum, quæ vulneratæ magis efferantur, crudelior erga suos milites euasit. Illi itaque immanitatis impatientes, eum vnà cum filio trucidauerunt. Potuit ergo occidi, & occisus est, qui voluit tot occidere. Sic *ar. 1. Reg. 2. 4. cui fortium superatus est.* Quin sæpe etiam citò superatus est.

C. Marius, tempore Gallieni, à militibus ex fabro ferrario Imperator factus est. Fuit is tam robusti corporis, vt Trebellius Pollio scribat, *Nullius manus vel ad feriendum, vel ad impellendum fortiores fuisse, cum in digitis nervos videatur habuisse, non venas.* Fertur enim & plaustra venientia digito salutari repulisse; & fortissimos quosq; digito ita afflixisse, vt non secus ac querni ligni, vel clauis ferreæ ictu percussi dolerent. Multas res collisione duorum digitorum contriuit. Tam firmus ipse fuit. Quàm autem firmum illius imperium? Prima die factus est imperator, secunda visus est imperare; tertia desijt & imperare, & viuere, occisus à milite illo, qui eius quondam, in fabrili officina operarius fuit; nec sine scommate; vnà enim & dictum hoc accepit: *Hic est gladius, quem ipse fecisti.* Dici igitur de hoc triduano Imperatore potest, quod M. Tullius de Consule Vatinio iocosè lusit; *Eo nimirum Imperatore, magnum ostentum accidisse, nam nec brumam, nec ver, nec astatem fuisse.* Hæc Numinis non solum potentia, sed etiam prouidentia est, vt tyrannos & tollere è medio possit, & non sinat esse diu, ne diu tyrannicè dominantur. Hoc enim de eo dictum est: *Non dabit in aeternum fluctuationem iusto. Tu verò, Deus, deduces eos in puteum interitus. Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Plura qui eiuscemodi vult exempla, librum peculiarem Ioannis Cassionis de Gigantibus, Thomam Tho. Fazell. Fazellum, quin & Philippum Camerarium adeat, vnde loc. cit. ples huic argumento materia est suppeditata. Illud hoc loco, è  
D. Augu.

1. Reg. 2. 4.

XX.

Trebell Poll.  
in historia 30.  
tyrannor.

Pfal. 54. 14.

Tho. Fazell.  
loc. cit.



S. Augustin.  
lib. 15. de ci-  
uit. Dei c. 23.

D. Augustino etiam atque etiam animaduertendum est, Deum quosdã interdũ homines tam vastis corporibus nasci voluisse, vt nobis videlicet testatum relinqueretur, tam pulchritudinem corporum, quàm etiam staturæ magnitudinem viresque carnis non esse in bonis præcipuis ponenda, cum ea non minus impijs, quàm pijs sint communia. Robur igitur animi, & mentis virtus, quæ apud impios non reperitur, est magnis læcertis anteponenda. Neque quidquam contra naturam, aut naturæ authorem conqueri potest, si cui statura ingens, aut virium negata est magnitudo, cum nulli negatum sit, quod maius est, virtutem possidere.

XXI.

Cælius lib. 7.  
cap. 56.

Denique, ne illi etiam ipsi, quibus à Deo datus est membrorum valor, existiment se omnia posse, atque vt inde etiam ceteri minorum gentium homuli multò magis suam agnoscant imbecillitatem, declarat diuina sapientia, etiam illas ipsas exoticas mortalium vires, alio fine datas, multis esse in exitium, quia sunt in præsumptionem: Sicut enim vino, auro, ingenio, alijsq; à Deo donis acceptis, ita & viribus corporis abutuntur. Fit igitur erga eos iustissimè seuerus, erga quos ingratos fuit munificus. Polydamantem athletam Græcorum monumentis proditum est, velut Samsonem aliquem, inermi manu, in Olympo monte, insolitæ magnitudinis leonem confecisse. Memorant eundem etiam in armenta boum intrasse, & inibi taurum magnitudine insignem altero posteriorum pedum arripuisse, ferocientemque, & præarabido impetu profilientem, non dimisisse prius, quàm in eius manu vngulam reliquerit. Scribitur etiam quadrigas tota vi concitatas constantissimè retinuisse. Qua fortitudinis fama permotus rex Darius, Artaxerxis filius, virum magnæ mercedis pactione Susa pellicuit. Eò cum venisset Polydamas, tres omnium Persarum fortissimos, qui vnà ex prouocatione arma susceperant in aduersum, solus contrucidauit. Cui inusitato robori confidens, dum fortè fortuna, cum aliquot alijs in spelunca recumberet ad mensam, conuulsusq; supernè scopulus ruinam minaretur, & omnes ad fugam impelleret, solus ibidem remansit, forsperans, vt saxum decidens facile sustineret, quo tamen oppressus